

I. N. J.
E

THEOLOGIA NATURALI

PROBLEMATUM BIGAM,

SUB UMBONE
VIRI

PRÆCELLENTIS ET CLARISSIMI

DN. M. SIMONIS FRIDERICI
FRENZELII,

Amplissimi Collegii Philosoph. Adjuncti meritisimi,
Studiorum Promotoris jugi observantia
colendi,

Athenis Leucoreis


Examini publico submittit

AUTOR

GEORGIUS MARTINI,

Primislaviâ - Marchicus.

*Die XIX. Maji, In Auditorio Majori
Horis antemeridianis.*



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO cl. l. c. LXIX.

Philos.
D.
92, 34

Var. Med. Fasc. XXVIII, 1,

THEOLOGIA
NATURALI

PROBLEMATUM BIGAM.

SUB UMBONE

PARVA

TRACTATUS ET CAPUT

DR. M. SIMONIS FRIDERICI

FRENZELII

Angustini Collecti Philo. ph. Abhandl. etc.

Stidionum Frontone etc.

colendi

Abbas Antonius


Franci religio submire

AUTOR

GEORGIUS MARTINI

et Familias - Marchiam

Die 17. Sept. 1739





I. N. J.

PRÆLUDIUM.

PHilosophiæ elogia si in præ-
sentiarum ebuccinare operosè
solidum nobis esset, vereremur,
ne, quod Scipioni olim objectum
est, nobis scævi quidam Theones
regerent: *Odi nimiam diligen-
tiam.* Tantam enim ejus esse præ aliis, quibus mens
humana perficitur, doctrinis (si à superiorum sci-
entiarum ternione discesserimus) excellentiam,
expeditissima sententia est, ut in eâ omne studium,
curam, industriam, cogitationem, mentem deni-
que omnem rectè figi & locari, bellissimè Romano-
rum prudentissimus *Seneca* Epistola LXXII, his ver-
bis enunciarit: *Non cum vacaveris, philosophandum
est: omnia alia negligenda, ut huic assideamus: cui nul-
lum tempus satis magnum est, etiamsi à pueritia usque
ad longissimos humani ævi terminos vita protendatur.*
Quamvis-enim- licet fortè non desint ex illis, qui,
Persii verbo, *Semipagani* nomen eruditorum men-
tiuntur, probantes illius apud *Ennium* *Neoptolemi*
consilium, qui paucis philosophandum esse; non omninò,
svasit; attamen catorum, queis, ut cum *Vate* dica-
mus,

— esse *Corculis* datum est,

A 2

pun.

puncta non tulerunt; sed vel invitis eis hoc de illorum commentis iudicium extorserunt, quod de realiâ olim tulit *Lucilius*:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

Rectius omninò olim sensit *Nævius*, cum se neminem vidisse, qui numero sciret, quod scito est opus, enunciaret. Quare nos ex tempore, quo ruptis carceribus Scholasticis, studiorum academicorum stadium emensi sumus, Philosophiam, quasi lampada, nobis sumpsimus, ut, tametsi serius, custoditè tamen magis ad calcem sublimioris scientiæ Theologiæ, in quâ tabernaculum studiorum nostrorum figere animati sumus, perveniremus. Profectuum verò in hoc doctrinæ genere quasi quoddam chirographum exhibituri excellentissimis nostris Præceptoribus, miscellanea quædam è *Theologia naturali* problemata seligemus, de iis, quantum ingenii nostri vires concedent, tradituri. Confidimus fore, ut nos *Senecæ* consilium, qui *fertilem materiam, quæ ingenium excitet*, eligendam esse benè scripsit *Epist. XXXVI.* probasse, confiteantur alii. Quamobrem recisis ambagibus nos incingemus; acturi de iis, quos selegimus, thematibus, diligenter; sed, quod *Veteres* dixere, *præfatâ Ope Dei.*

PROBLEMA PRIMUM.
*Conceptum Spiritus, quando communiter
de Spiritu finito & infinito prædicatur, esse
analogum astruens.*

Flere in Scholis non tantum Philosophorum; sed & Theologorum, qui cum inter finitum & infinitum distantiam esse infinitam deprehenderent, omnem omninò convenientiam

tiam Dei & Creaturarum negarent. Hinc nullum prædicatum Deo cum Creaturis esse posse commune; sed quicquid communiter de utroque prædicatur, æquivocè prædicari contenderunt. Ita olim R. *Moses*, *Dionysius*, *Petavius* Tom. I. dogmat. Theol. Lib. I. Cap. VI. §. IV. seqq. *Damasceus* de Orthod. fid. Lib. I. Cap. IX. Ex Recentioribus *Henricus Nicolai*, *Lippius* Met. magn. Lib. I. alii, qui *Augustinum* hanc quoque opinionem fovisse opinantur VII. Confess. Cap. XI, cum scripserit: *Inspexi cætera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem quoniam abs te sunt, non esse autem, quia id, quod es, non sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet.* Quæ opinio cum hodiernum etiam in multorum animis altissimas radices egerit, nos, quantum fieri poterit, evincemus, eam falsissimam esse & indignam quam Philosophi tueantur. Et quidem ante omnia tanquam fundamentum supponendum est: non potuisse Deum creare quod omnimodò sibi simile fuisset; neque etiã quod toto essendi ordine à se diversum esset. Utrumque probatur facilè. Nam si Deus creasset omnimodo sibi simile, id Deus fuisset. Sed pugnantia est in appposito Deus creatus. Si namque creatus est, non est Deus. Deus enim est Ens primum. Sed Ens creatum habet prius, id nempe à quo creatum est. Porro Deus est Ens summè necessarium: quod non potest non esse. Sed creatum Ens non est summè necessarium. Potest enim non esse. Imò fuit tempus, cum nondum esset. Quod si verò creasset toto essendi ordine à se diversum, illud fuisset non-Ens. Sed id contradictionem olet. Esset n. & non esset simul. Esset, quia creatum esset. Non esset, quia non-Ens esset. Quæ quomodo conciliare velis, non liquet. Sed hoc posito fundamento, sponte sua sequitur convenientia Creatoris & Creaturæ, quam infinita distantia inter infinitum & finitum nequaquam tollit. Hæc enim prædicata infinitum & finitum præsupponunt conceptus ultimos Creatoris & Creaturæ. Sed in conceptibus ultimatis frustra convenientiam quæsieris Rerum quæ sunt: quippe quæ tantummodò datur in concepti-

ceptibus non-ultimatis. Quid? quod axioma illud Metaphysicorum accipiendum sit de negatione convenientiæ exactæ finitorum & infiniti Entis. Verùm hæc convenientia, quam nos intendimus, non est exacta: cum adhuc similes & dissimiles res ponat. Dissimiles secundum esse proprium & ultimatium. Similes secundum esse non-ultimatium & commune. Itaque frustra ex eo axioma convenientia Creatoris & Creaturarum impugnatur. Convenienter hæc de re doctissimus Philosophus quidam in Colleg. Noolog. part. Gener. Cap. I. num. IV. *Dissimilitudo, inquit, inter Creatorem & Creaturam manifesta quidem est, nequaquam tamen destructiva ipsius similitudinis, quæ similitudo inadæquata tantum est, & ratione hujus vel istius tertii tantum obtinet.* Ita non conveniunt in ratione adæquata seu esse ultimo, nec in ullis imperfectionibus; sed in perfectionibus iisque non secundum quid, (quæ non possunt fundare prædicata Deo & Creaturis communia) sed simpliciter talibus. Positâ ergo convenientiâ Creatoris & Creaturarum, consequenter asserendum est, dari unum conceptum, qui utrique sit communis, hoc est, dari aliquem conceptum, qui secundum nostrum concipiendi modum, tam Deum quam Creaturas complectatur, & ita quidem, ut verè & propriè, non impropriè & æquivocè de utroque prædicetur. Et hic conceptus, prout variat Abstractio, & ulteriorem abstractionem vel non admittit, vel admittit, etiam variat. Et quidem Conceptus hujus, qui ulteriorem abstractionem non admittit, communis una species est, nempe Ens: ille verò, qui ulteriorem abstractionem admittit, duplex est, vel remotior vel proximior. Remotior est substantia. Proximior Spiritus. Hi, inquam, sunt illi conceptus, qui ex convenientia Dei & Creaturarum propullulant. Ac priores quidem duos Metaphysicis relinquentes, tertium, de quo merito Pneumaticus exponit, in præsentiarum sumemus. Constat verò ex antecedentibus, Conceptum hunc communem unum esse. Unus verò conceptus cum vel univocus (ad satiem enim hucusque
con-

contra adversarios nostrates Philosophi docuerunt, *unum*
conceptum & univocum conceptum non paria facere, cum dif-
ferant ut latius & angustius: & omnis quidem conceptus
univocus sit unus; non tamen contra ea omnis conceptus
unus statim Univocus) vel Analogus sit. Hinc quæstionis est:
Utrum Conceptus Spiritus, quando de Spiritu infinito & finitis
prædicatur, sit Univocus; an verò Analogus? Alii hoc, alii il-
lud affirmant quæstionis membrum: alii adeò fluctuant,
ut nescias verè, quid sentiant. Nos expresim adseveramus
conceptum Spiritus, quando de Deo & creatis Spiritibus
prædicatur, non univocum; sed esse analogum. Quam sen-
tentiam antequam rationibus muniamus, generaliter prius
notandum est, per conceptum analogum nos neque ana-
logum analogiâ proportionis (quippe quæ mera æquivo-
catio est) neque analogiâ attributionis extrinsecæ (hæc
enim ad classem Paronymorum, non verò Synonymorum
spectat, & sic velut apposita species Univoco objici non
potest) sed quod tale est analogiâ attributionis intrinsecæ
intelligere. Hanc licet alii aliter definiant, nos tamen vesti-
gia secuti Plur. Rev. Dn. D. *Baumanni*, noti acuminis Philo-
sophi, eam esse dicimus, quæ conceptus communis omnibus
inferioribus propriè & intrinsecè, cum dependentiâ tamen
posterioris analogati à priori competit. Vidit enim doctis-
simus Vir rectè hanc analogiam ab eminentiæ analogia se-
parari. Et probatur facilè hæc opinio. Definienda enim est
tanquam opposita species Univocationis. Sed quando vul-
gò asseritur, eandem analogiam eminentiæ comprehendere,
certè opponi non potest Univocationi; sed tantum ana-
logiæ proportionis. Deinde & hæc ratio eam sententiam ve-
ram esse confirmat: quod analogia eminentiæ non sem-
per sit è genere Synonymorum; sed & interdum ex genere
Paronymorum. Analogia verò attributionis intrinsecæ spe-
cies Synonymi est. Ergò. Hisce præmissis positionem no-
stram confirmabimus partim *remotivè*, partim *positivè*. *Re-*
motivè, cum dixerimus conceptum hunc Spiritus non esse
uni-

uni-

univocum. Hoc antequam probemus, prius notandum est, univocationis formam non ex cerebellis Scotistarum, Thomistarum & aliorum, qui cum terminis velut pueri cum astragalis ludunt, æstimandam; sed eam attendendam esse, quam saniores semper è monumentis illorum, qui notiones hasce primi exposuere, & e-ruerunt, & contra secus sentientes felicissimè defenderunt. Nec id monuissemus, nisi deprehendissemus, viros cæterovin doctissimos, malè seductos in hac controversiâ à Scholasticis, univocationem pro suâ fœcunditate ingenii explicantibus, esse, ut asseruerint totam disensionem magis de modo loqvendi esse, quàm de re ipsa. Constat verò ex probatorum Philosophorum sententia, ad univocum requiri sequentia capita: primum, ut conceptus Rei communis sit verè & definitivè quidem suis inferioribus. Deinde ut competat eis æqualiter. Et quidem quod ad hoc requisitum attinet, accuratè distingvendum est inter conceptus ultimos & non-ultimos. Non enim æqualitas illa in ultimatis conceptibus quærenda est; sed in non-ultimatis: cum ratione tertii alicujus & communis conceptus plura comparentur. Sed communis conceptus non ultimatus est. Corruit ergò explicatio Univocationis *Johannis de Rada* Scotistæ Philosophi, qui *quatuor gradus Univocationis* commentus est, referente Dn. D. *Klotz*. Disput. IV. Th. LVIII. *perfectissimum, perfectiorem, imperfectum, imperfectissimum*. Hi enim gradus analogiam cum univocatione partim miserè confundunt, partim, (quod exemplis manifestari potest, quæ adducit *Klotzius* l. c.) respectus habetur conceptuum ultimatorum secus quàm fieri debebat. Expeditis hisce Requisitis Univocationis, facilè erit nobis sententiam nostram probare. Argumentamur: Quicumque conceptus communis non habet requisita omnia conceptus univoci, ille non est univocus. Sed conceptus Spiritus, quatenus de Deo & Creaturis prædicatur, non habet requisita omnia Univocationis. Ergò Univocus non est. Major in confesso est.

est. Requisita enim hæc ponunt formam Univocationis, si-
ne quâ Univocatio non est id, quod est. Minorem proba-
mus: cum conceptus communis Deo & Spiritui creato
non competat æqualiter. Probo sequentiratione: In qua-
cunque participatione conceptus communis, animadvertit
intellectus realem aliquam habitudinem inferiorum ad se
invicem inæqualem, etiamsi non respiciat conceptus ulti-
matos illorum inferiorum, illa participatio est inæqualis.
Atqui in participatione Spiritus animadvertit intellectus
realem aliquam habitudinem inferiorum hunc conceptum
participantium. Ergo participatio hæc est inæqualis. Majo-
ris veritas ut constet, notandum est, quod diximus, licet non
respiciat conceptus ultimos. (Dici enim non potest,
quam infirma sit ratio non neminis, qui objicit: *Si inæqua-
litas, quæ extra conceptum communem aliquem datur, & in in-
ferioribus, rationem illam communem, quam conceptus impor-
tat, participantibus reperitur, conceptum facit analogum, se-
quitur, nullum conceptum univocum esse posse, quia nullus da-
tur conceptus superior, cujus inferiora non maximè inter se di-
stant, & propterea illum conceptum inæqualiter participant.*
Nam primum verum est, nullum dari conceptum commu-
nem, cujus inferiora non maximè inter se distent, puta si
conceptus inferiorum ultimos attendas. Sed hi attendi,
quando sermo est de conceptu communi, non possunt. Nam
si hoc attendas, non habebis amplius convenientiam, quam
tamen conceptus communis præsupponit, sed discon-
venientiam. Malè ergò secundo colligit: maximè inter se
distant. Ergo conceptum communem inæqualiter partici-
pant. Nam, ut dicebamus, distant, quatenus pensi habeas
conceptus ultimos; participant verò, quatenus respicias
conceptus nõ-ultimos. Nulla ergò hæc consequentia est.)
Min. probo. Nam certè in participatione conceptu commu-
nis Spiritus, animadvertit intellectus inæqualē habitudinem
inferiorum ad se invicem. Cum Deus & Spiritus finitus se
respiciant ut Creator & Creatura, etiamsi non descendat
ad conceptus ultimos. Sed hic respectus implicat depen-

B

den-

dentiam unius participantis ab altero participante conceptum communem Spiritus. Ergo participatur inæqualiter. Nam inæqualitatis hujus fundamentum consistit in habitu- dine reali inferiorum ad se invicem, etiam quando respici- tur conceptus non-ultimatus. Firma ergò est Conclusio, Conceptum Spiritus non esse Univocum. Superest secun- dum membrum positivum, Conceptum hunc esse analo- gum, quod hoc modo probamus: Quicumque conceptus ita ab inferioribus participatur, ut in participatione ipsâ in- feriorum deprehendat dependentiam unius participantis ab altero participante, ille conceptus est analogus analogiâ attributionis intrinsecæ. Sed conceptus Spiritus talis est. Ergò. Major constat ex definitione analogiæ, quam su- præ tradidimus. Minor probatur: quia Deus & Spiritus creatus se respiciunt ut Creator & Creatura, etiamsi non respiciat conceptus ultimos illorum intellectus. Mani- festæ ergò veritatis conclusio est.

PROBLEMA SECUNDUM.

*DEUM simplicissimum & omnium, quæcumq;
sit, Compositionis expertem esse,
evincens.*

Illi, quod summè perfectum est, & principalem gradum perfectionis habet, imperfectionem quandam affricare velle, est perfectum imperfectum vocare. Certè cautio Phi- losophiæ accuratioris non admittit, ut quod imperfectio- nem secum trahit, Deo affingamus. *Nunquam enim, quod scitissimè scripsit Seneca Lib. VII. nat. quæst. cap. XXX. vere- cundiores esse debemus, quam cum Deo agitur.* Constat præ- terea, Deum esse eorum, quæ sunt, primum. Sed primum in quovis genere mensura reliquorum. Quare cum Deus omnium sit primum: consequenter omnium erit mensura. At mensuram, regulam, normam imperfectam dicere velle, est, ut *Lucretius* concludere solet, *desipere.* Quamobrem cum
Deus

Deus sit Entium perfectissimum, Compositionis etiam ex-
pers erit. Compositio enim est nomen multiplicis imperfe-
ctionis. Omne quippe compositum pendet necessario ab
alio. Nam quod compositum est, necessum est, ut sit com-
positum ab alio. Nec enim esse à seipso potest: cum sic esset,
antequam esset. Esset cum se componeret: non esset, cum
nondum compositum esset, quæ omnia cum principiis, qui-
bus cognitio humana innititur, adversâ fronte pugnant. Ita-
que compositum pendet primum à Causa efficiente. Nam
quod verè *Thomas* scribit, part. I. Quæst. III. Art. VII. *Omne
compositum causam habet: quæ enim secundum se diversa sunt,
non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adu-
nantem ipsa.* Deinde pendet à partibus componentibus. Per
partium namque unionem, & ut ait *Marsilius Ficinus* Theol.
Plat. de Immort. Anim. Lib. II. Cap. VII. *partium conspiratio-
nem*, demum compositum intelligitur. Sed absurdum est,
asserere Deum pendere ab alio. Erit enim sic Deo aliquid
prius. *Priora, puta, ipso elementa invenirentur esse, ex quibus
compositum est omne, quicquid illud est, quod compositum di-
citur*, quæ verba sunt *Origenis* Lib. I. periarth. cap. I. Quare
Deus non erit Ens primum. Est verò. Quamobrem compo-
sitionis expertem Deum esse intelligitur. Ergo simplex erit.
Sed cum perfectissimum Ens sit, erit & simplicissimum. Quo-
niam magis unum quid est, eo etiam perfectius esse, rectè colli-
gitur. Sed simplex Ens ponit exsuperantio-rem gradum uni-
tatis quam compositum. Quare perfectius longè Ens sim-
plex, quam compositum esse relinquitur, quod & vidit *Bern-
bardus* Lib. V. de Considerat. cap. VII. cum scriberet: *Recto
iudicio simplex Composito antefertur.* Quæ cum adeò mani-
festæ veritatis sint, ut facilè quemvis in sui assensum rapere
posse adopinemur: evenit tamen contra, ut, *cum nihil tam
sit absurdum, quod non dicendo fiat probabile*, quod in Parado-
xis scribit *M. Tullius*, plures invenirentur, qui simplicitatem
Dei labefactarent. Neque verò putandum est, solos Veteres
hîc hallucinatos esse. Inveni etiam sunt, & adhuc inveniun-
tur, qui opinionum, quas malè didicerunt, fascino lymphati,

ri, Dei simplicitatem multis modis decolorant. Ac quidem nos cum his congressuri, nihil munitius adversus illos proferemus, quam si species compositionis sigillatim pensiculantur, singulas à Deo removeamus. Sistimus scenæ *primum Compositionem ex materia & forma*, quam Deo tribuerunt non tantum è Gentilibus *Stoici* apud *M. Tullium* Lib. I. de nat. Deor. qui Deum esse Corpus dixerunt; sed & *Judai* apud *Origin.* homil. III. in Genes. tom. I, qui Deum quasi hominem intelligendum esse putarunt. Imò & ex Christianorum coetu *Tertullianum* hujus erroris reum fuisse creditur à *Fulgentio* Lib. II. de fide ad Petrum: quamvis *Tertullianum* excuset alicubi *Augustinus*. Ab horum sententia vel nihil vel parum abest *Conradus Vorstius* in Libr. de Deo & attribut. p. CCI. qui Deo verè corpus tribui posse, si per corpus vera & solida substantia intelligatur, somniat. Verum enim verò hæc sententia adeò absurda est, ut eam recensuisse sit refutasse. Nam ut rationes alias taceamus, hæc ratione *Deus non foret agens summum, quia non per se totum ager, quicquid ager; sed per partem alteram, id est, formam*, ut eleganter disserit *Marsilius Ficinus* loco cit. lib. I. cap. VI. Deinde *Compositionem ex subjecto & accidente* Deo tribuit idem *Vorstius* c. I. quando partim asserit, Deum habere magnitudinem intelligibilem, partim verò provocat ad decreta Dei, quæ accidentia esse eâ ratione probare satagit, quod illa sint libera & contingencia: essentia autem divina sit necessaria. Quis & expressim professus est, decreta Dei esse vera accidentia, quæ in Deo ab æterno non fuerint; sed in tempore sint producta, Apolog. Exeget. cap. IX. Verum & hæc absurdissima opinio est. Nam Compositum ex subjecto & accidente non rarò Ens per accidens est, quod ne impiissimus, credo, de Deo cogitaret. Deinde in superscriptis asseruimus, Deum esse simplicissimum. Non est vero, si compositus est ex subjecto & accidente. Tertio Deus est actus purissimus. Sed si Deus habet accidentia, non est. Haberet enim potentiam passivam recipiendi accidentia. Potentia verò passiva cum actu puro pugnat. Quid? quod Deus mutari posset, si acciden-

den-

dentia haberet. Mutari enim posset per accidens aliquod, quippe quod adesse vel abesse potest sine subjecti interitu. Tandem nec Ens omnimodè necessarium foret, cum accidens sit Ens contingens. Facile itaque diluemus rationes *Vorstii*, quas oggannit. Nam primum de magnitudine intelligibili ejus, propè diceremus, eam nullibi nisi in cerebro ejus inveniri, nisi scii essemus, subtilitatum Magistrum, *Scaligerum* olim quantitatem quandam *intelligibilem* commentum fuisse. Sed profectò

Sunt apine tricaq; & si quid vilius istis.

Nam magnitudo illa intelligibilis aut propria est, aut impropria. Si propria, quomodo eam habebit Deus. Magnitudo enim propria est Quantitas. Hæc verò sequitur materiam. Materiam autem expers Deus est. Quare magnitudinem non habebit. Sin impropria, improprie Deus magnus erit, hoc est, non erit. Imò non est *Vorsti*. Ad Decreta verò Dei quod attinet, respondendum est, interesse inter actum, qui decernit, & id, quod decernitur, quæ pessimè confundit *Vorstius*. Actus decreti est Deus ipse. Id verò quod decernitur, est quidem res à Deo diversa, non tamen in Deo est aut ei perfectionem largitur. Tertiò, Deum compositum esse ex natura & supposito asserit *Adrianus Heerebord*. Disput. XXI. volum. I. §. IIX. scribens, *subsistentias reverà ante omnem mentis operationem à natura & essentia divina, ut modos à re modificata distingvi, adeoq; Deum verè ex natura & substantiis tribus componi*. Verum hoc judicium falsa hypothesis extorsit. Falsum est, subsistentiam Dei ante omnem mentis operationem à natura & essentia ejusdem distingvi velut rem & rei modum. Nam diversum esse à Deo nihil potest. Si enim esset, quærerem, an id esset productum, an verò nec productum. Si nec productum, esset Deus. Deus ergò à seipso diversus erit, quod absurdum est. Si productum, Deus Ens primū omnimodè non esset, cum esset aliquid in Deo, quod naturam Dei & essentiam sequeretur. Accuratè *Dn. D. Klotz*. Diss. VII. Th. IX. In Deo, inquit, *natura & suppositum non differunt realiter ut res & ejus modus, ita, ut Deus sit subsistens per compositi-*

tionem rei & modi à parte rei ab essentia diversi; sed est ibi realis identitas suppositi ad naturam, quia in Deo nihil est aut emanans, aut productum, aut quocumque modo ab essentia Dei realiter diversum, quod hoc ipso primum non esset. Quare & hæc Heerebordii sententia vana, falsa & inutilis est. Quarto asserendum est, Deum non esse compositum ex esse & essentia. Quod ut lucidius intelligatur, notandum est, compositionem hanc esse, quæ ratio in uno eodemque creato Ente cum fundamento in Re tanquam distincta concipit essentiam, quæ possibilem & quæ actualem, sive id, quod sit, & id, quod sit, ex quibus unum quoddam compositum factum fingat, definiente Sparetz. *Disp. XXXIII. Sect. IV. num. II.* Hac definitione stante (stat autem quam maximè docente *Scheiblero Lib. I. Met. Cap. V. Tit. IV. art. I. num. XXVI.*) in proclivi est, demonstrare Deum ab hac compositione alienissimum esse. Nam, Deum esse Ens summè necessarium, constat. Hoc verò possibile esse contradictionem olet. Imò, quam rationem benè tradidit *Dn. D. Klotz. Disput. VII. Th. X. Essentia hoc modo intellecta apprehenditur ut carens actualitate, & potentialitatem, sive, ut vulgo dicimus, potentiam objectivam dicit ad esse, ita, ut ex potentia possit beneficio agentis deduci ad esse actuale, quod nefas sit de divina essentia cogitare, cui omnis illa potentialitas repugnat, quia, in purissima & ultima actualitate consistens, non potest ut sua actualitate carens apprehendi, neque ulteriore actualitione opus habet.* Hæc verè Vir doctissimus. E quibus etiam manifestatur hæc assertio: Deum non esse compositum ex actu & potentia. Quinto dicimus, Deum non esse compositum ex genere & differentia. Secus quam sentiunt *Zeisoldus part. Gener. Pneumat. Disput. II. Puncto III. secutus Mendozam Disput. IX. Sect. IV. Arriag. Disp. Met. III. Sect. II.* Sed contra vera sententia est quidem, compositionem ex genere & differentia esse compositionem rationis: sciendum tamen est, eam nulli competere solam; sed quatenus sociata est compositione ex actu & potentia, quippe in qua fundatur, quod accuratè docet Celeberrimus Philosophus noster *Dn. Waltherus Exercit. Philosoph. de eo, quod à parte*
in-

intellectus nostri respondet formali rationi Dei, Th. VI. si-
cuti alias omnis notio secunda fundatur in notione prima.
Quum verò Deum ex actu & potentia compositum non es-
se, ex antecedentibus constet, nec compositus etiã esse poterit
ex genere & differentia. Ruit ergò opinio, Deum esse in præ-
dicamento Substantiæ: quam nervosè & solidè confutat
Excellentissimus Dn. *Waltherus*, Præceptor meus omni
observantiã colendus l. c. Nec est, quod dicant, se terminis
generis & differentiæ uti, non eo significatu, quem intendit
Porphyrus; sed latius, quatenus genus notat quemvis conce-
ptum communem: differentia autem quemvis conceptum
proprium. Nam concedi quidem Philosophis potest, ut ter-
minos amplius sumant; si eorum forma non repugnet; non
verò, si repugnet. Imperfectionem certè, quæ formæ gene-
ris innexa est, à genere si remove velis, genus destrues, &
è genere non genus efficies. Quod intelligentes nostri Philo-
sophi, distinctionem tradiderunt inter notiones communes
& speciales. Communes amplius sumi; speciales verò non
posse, rectè docentes. Et inter has quoque connumerantur
genus & differentia. Quare frustra eorum forma extenditur.
Sed hæc obiter.

Removimus hætenus, ut è diverticulo in viam redea-
mus, Compositionis tam Rationis, quàm Rei species à
Deo. Sed restat dubium: *Utrum omnis Compositio Rationis
Deo repugnet?* Et aliàs quidem rem distinctione compo-
nunt, asserentes, compositionem Rationis vel imperfectio-
nem involvere, vel non involvere. Eam, quæ involvit imper-
fectionem Deo repugnare asserunt omninò, non verò eam,
quæ talem non involvit, qualis est, ubi in re unica est Enti-
tas, ab intellectu tamen humano distinctè concipitur, & in
plures conceptus dividitur. Cæterum Compositio illa aut
est Rationis ratiocinantis aut Rationis ratiocinatæ. Certè
rationis ratiocinantis compositio ficta est ab intellectu. Sed
si in Deo fingas aliquam compositionem, quæ in eo non est,
conceptus, quem de Deo formasti, non erit conformis Deo
ipsi: quippe qui est immunis ab omni compositione. Itaq;
hæc

hæc idea non erit essentiæ divinæ vera; sed falsa. Quare Deo repugnat compositio rationis ratiocinantis: cum conceptum Dei falsum efficiat. At compositio rationis ratiocinatæ Deo non simpliciter repugnat: Licet enim essentia divina sit simplicissima, attamen cum intellectus humanus ob imperfectionem suam, illa quæ ex parte Dei identificantur, uno ac simplici actu capere nequeat, quoad concipiendi modum essentiã Dei & attributã ejus diversa sibi facit, inadæquatè apprehendit, & formaliter sibi distincta etiã componit. Sola v. compositio intellectus minimè infert compositionem objecto conceptibili, cum huic sit aliquod extrinsecum: sed uti ex parte Dei non est distinctio, ita manet simplicitas. Huc spectare videntur verba *Svaretz. Disp. Met. XXX. Sect. X. Concipimus Deum sicut nominamus, & nominamus sicut concipimus, nomine scilicet & conceptu simplici, confuso tamen & imperfecto ex parte nostri, in ea verò confusione involvendo in re conceptã omnem perfectionem.* Remanet ergò, in Deum nullam unquam cadere compositionem realem, nec illam rationis, quæ in reali fundatur compositione, aut imperfectionem de se infert.

CUI SIMPLICISSIMO SIT GLORIA
SEMPITERNA!



Dum